

XXI.

Anno 1111.

Colomanus Hungariae Rex, Cresimiri Regis privilegium fundationale Ecclesiae Arbensi datum confirmat, unaque Dalmatiae Clericos iisdem libertatibus, quibus Hungariae Clerici fruuntur, donat.

Anno Dominice Incarnationis M. CXI. Indictione IV. Epacta nona concurrentibus. Ego Colomanus dei gratia Rex Hungarie per misericordiam dei potitus Regno Dalmatie atque Croatiae, assentimus, ad quantum ad nos pertinet, et confirmamus Arbensi Ecclesiae suas Parochias: Juppam sub Alpibus suis cum terminis, a castro latine Murula vocitato, sclavonice autem Stenizze, usque ad flumen Coprive, Chissam suis cum terminis, Juppam Liche, Juppam Bussani (Lucius Bucani) et Buzzachi (Lucius Bochacchi), sicut semper didicimus habuisse per Privilegium Cresimiri Regis & idoneos testes, quos Paulus eiusdem Ecclesiae presul induxit, cognovimus; decrevimus quoque ad honorem et dignitatem illius ecclesiae, investituras tam ecclesiarum, quam episcoporum et abbatum, absque Regis consilio, quemadmodum fuisse probavimus, fieri debere, postea necessarium duximus, cum utriusque Regni universo consilio, ut qua libertate fruuntur clerici Hungariae, fruantur et clerici Dalmatie, scilicet ut qualiscunque potentie sigillo non constringatur, sed solo Episcoporum & Archidiaconorum suorum sigillo et iudicio lege Canonum cogantur et iudicentur. Hoc modo Decimationem quemadmodum in Hungaria accipiant, Prestaldus Regis cum Prestaldis Episcoporum ex decimatione Episcopi ipsi accipiant decimam partem, ex qua Prestaldus Regius dimidiam partem illius decimationis accipiat, Prestaldi vero aliam dimidiam cum curiali Comite sui Episcopi per medium dividant, et sic curialis Comes dimidiam sibi habeat, Prestaldi vero aliam dimidiam inter se dividant. Indictione IV. Datum est hoc Privilegium dicte Arbensi Ecclesiae, per manus venerabilis Laurentii Strigoniensis Archiepiscopi, perpetuo ex concessione Colomani Regis (Lucius Vngariae) Dalmatie et Croatiae, sic in presentia suorum Episcoporum ac Comitum, quorum nomina hec sunt: Simonis Quinque Ecclesiensis Episcopi, Mathei Vesprimiensis Episcopi, Georgii Gevrensis Episcopi, Sixti Varadiensis episcopi, Marcelli Vaciensis Episcopi, Tulberti Collocensis Episcopi. Comitum vero Johannis Palatini Comitum, Claodini, Marci, Sauli, Saunici, Vngareni, Theobaldi, Jandini et quamplurimorum Dalmatinorum Episcoporum et asserentium et testificantium, per quorum testimonium probavit predictus Presul dictam Arbensem ecclesiam semper ita habuisse. Crescentii Spalatensis Archiepiscopi. Anastasii Tininiensis Episcopi, Johannis Traguriensis Episcopi. Bani Albensis Episcopi, Marci Jadrensis Episcopi. Dominici Vegliensis Episcopi, Petri Absarensis Epi-